

tionalis, quia episcopi extra dioecesim morabantur; neque tempore othomanae dominationis eo vel magis, nam spatio quasi unius saeculi nullus episcoporum bosnensium in Bosnam pedem intulit; illi autem tres administratores dioecesis durante Concilio Tridentino<sup>35</sup> p[re] Turcarum persecutionibus et nimio labore ne cogitare quidem poterant de auctoritatis sua ampliatione. Eo vel minus id poterant alii episcopi in respectivis territoriis suis a Turcis occupatis, quia neque inibi intrare audebant.

Aliter res versa est post Concilium Tridentinum, quod totam animarum curam, etiam regularibus commissam et ab ipsis administratam, visitationi, jurisdictioni ac correctioni ordinarii loci subjecit.<sup>36</sup> Hoc autem occasionem p[re]buit crebris dissensionibus inter episcopos et religiosos Franciscanos. Amodo enim episcopi quaerunt, ut decreta Tridentini et Constitutionum Apostolicarum adamassim serventur; immo, carentes clero saeculari, jurisdictionem suam in aliquas res exemptionis religiosae extendere nitebantur. Ex adverso autem Franciscani, qui alias in illis regionibus erant fortes et necessarii, viriliter sua jura tuebantur. Itaque, primo conabantur conservare vetera privilegia non obstantibus claris decisionibus Tridentini Concilii; postea vero solum quod a jure communi illis competebat. Unde ex tali positione duplicis auctoritatis saepe magni conflictus oriebantur, ex quibus nunc possumus judicare structuram organisationis pastoralis ejusque fundamenta juridica.

Sed antequam nostram expositionem incipiamus, bene notare debemus hanc chronologiam litium nullatenus historiam activitatis pastoralis Franciscanorum exhibere, sed tantummodo casus collisionum, qui alias ubique gentium, ubi

<sup>35</sup> Kovačić fr. Blasius, episcopus samandriensis, p[re]conisatus fuit die 4 Junii 1544. — Cfr. Jelenić, Spomenici, Starine XXXV (1918) 86 n. 5; — Skorojević fr. Thomas, episcopus item samandriensis, p[re]conisatus fuit die 24 Aprilis 1551 — Jelenić, o. c. 86—; Ugrinović fr. Nicolaus, item samandriensis episcopus, p[re]conisatus fuit die 28 Octobris 1565 — Jelenić, o. c. 87. Hi pontificalia exercebant in regno Bosnae et quibuscumque dictae provinciae civitatibus.

<sup>36</sup> Sess. XV, c. 11 de reg.; Sess. VII, c. 13 de ref.